

bris nostris repugnantem non modo religioni, sed etiam rationi, totumque genus humanum in captivitate retinentem; nam quilibet faciens peccatum est servus peccati.

An creditis verum christianum, cuius regnum non est de mundo, cuius civitas æterna est in eis, cuius victoria in compescendis cupiditatibus, cuius libertas in refrenatis animi affectibus consistere videtur, et cuius animi magnitudo in eo maxime eluet, quod injurias impiorum hominum æquo animo ferre posset; an creditis eum, qui nihil aliud de commodis hujus mundi poposcerit, quam ut fidem suam unicam in Deum et in Dominum nostrum Jesum Christum, integrum, intactam et inviolatam habere liceat; an creditis inquam, eum, qui servitutem hujus mundi sine odio, sine ira, sine indignatione tolerare potest, unquam desudaturum in disceptationibus hujus mundi, de rebus inanibus, de regno civili, de prærogativis imperii et sic porro? Non crediderim. Nam christiano idem est, Turcarum ne Sultano an Americæ præsidi debita solvat. Et quod ad jus civile pertinet, parum refert, servus ne, an dominus nominetur; quippe qui per se dominus est et rex et imperator vi potentiae et dominationis internæ, qua sui compos esse et aliis svadere potest. Itaque non servitutem physicam sed moralem ægre fert christianus.

Quæ, quum ita sint: quid tandem censendum judicatis de turba illorum, qui perfirata fronte et inaudita prorsus procacitate clamant, vociferantur, adversus reges et imperia acriter invecti? Vel de illis, qui arrestis auribus suspensoque naso auscultant, attoniti quasi et avide devorantes voces Barbarorum

clamantium: pereant reges! pereant leges majorum! vivat libertas! vivat religio Straussiana! O! fultitiam hominum, qui astutiam Diaboli non animadvertisunt, se captos dolo non vident. Ego contra ea exclamare vellem; delirat mundus; illaqueatus est illecebris Satanæ. Furit orbis terrarum, ac de christiano factus est pejor gentibus. Quem enim unquam gentium audiveritis mutare deos, alienos lares penatesque adoptare, pro summo numine semet ipsum sub humanitatis specie venerari, fana altariaque sruere rationi, quod nuper, vel paulo ante nostram memoriam factum legimus aquid nationem Gallicam, quæ ob eam causam, eti ad summum humanitatis urbanitatis que fastigium enixa, nihil feciis in Tartarum detraha videbatur, cum tota civitas sangvine suorum civium cruenta haud immeritas daret poenas nocti Bartholomæi. Tum demum apparuit omnibus, quid sibi velit libertas hujus mundi. Vide, ne sub libertatis specie idem gratum spectaculum paretur Diabolo in nostra patria.

Sed miremini forte L. me, cum de ceteris ordinibus multa, indigna licet vobis visa, disserui, nullam ejus ordinis mentionem fecisse, ad quem ipse pertinere videor. Sed de hoc ordine nihil fere est, quod agam. Est enim hoc genus hominum invisum omnibus; et si ego de me et de collegis sententiam meam præfisciri edicere auderem; vereor, ne oratio mea nimis discrepare videatur ab auribus vestris.

Interesse hujus ordinis videtur, non tantum omnia infausta et sinistra hujus ævi animadvertere, et oracula potentibus dare, sed etiam sedulo precari, ut Deus avertat omen, operamque dare, ne quid capiat detrimenti respublica divina,